

stes. Omnium temerarios illos habeas, qui pravae mentis impetu, Iudaeos imitati, sub honoris diuini obtentu & caede & flammis, a sacris suis dissidentes e medio tollunt. Quum cultus diuini pars illis absoluetur, quae in Dei honorem perferenda sunt, nullum est dubium, quin in iisdem temerarie quaedam fieri possint, quae breuiter attingam. Peccare dico hominum temeritatem in eo, quod plura perpeti velint mala, ac summum Numen ipsis perferenda decreuit, quo ipso legis diuinae perfectioni male consulitur. Scimus obligationem nostram ad incolumitatem famamque tuendam, ad propulsanda quaeuis aduersa. Lex ista, ad quam non docti, sed facti sumus, immutabilis suo iure habetur, quousque hominis non immutatur essentia. Temerarie ergo a'ia efficta est obligatio ab illis, quos denudatis aduersa tempestate pedibus, protractis ieiuniis, sub aperto coelo diu versatos & precatos historiarum monumenta nobis sistunt. Nec diffitemur, ipsam primorum Christianorum pietatem interdum laborasse temeritate. Qui vero sermoni Christi veritas sua constaret, si primoribus illis saeculis vltro in flammis & mucrones incurrere licuisset, vbi pii ardoris declaratio nullius inter hostes fuit vsus. Vti zelus *εκατ επιγνωσιν* a genuino zelo differt, ita quoque temeraria pietas a genuina piae mentis contentione. Nulli vnquam victum moderate adhibitum, vel medicinae acidularumue vsum temere improbassent, neque Origeniano more corpus suum mutilassent, nisi, male intellecta voce *σαρκος*, abnegationem sui cum naturae suae destructione confudissent. Detestamur tandem illud hominum genus, quod spinis flagellisque in proprium saeuit corpus sub vano pietatis praetextu, quae ad *αφειδιαν*, Paulo improbatam, referimus, vsum ab abusu sollicite cum eodem discernentes, quum ista vitae ratio plane nihil facere ad scopum dicatur. Pari vero passu cum turgidis illis, de quibus sub initium diximus, ambulant, qui talibus suo ingenio effictis vel male actorum veniam a Deo impetrare, vel gratiam eius non vulgarem mereri annituntur. Quae omnia turpissima meriti opinione nixa vno ictu ab Apostolo prosternuntur, qui Colos. II. talia instituta temeritatis incusat, dum electicium cultum, meriti opinionem subesse, contraque obligationem naturalem in proprium corpus peccari diuino spiritu afflatus lectores monuit. Ex his quae dixi, temerariae pietatis naturam aliquo modo intelligi posse existimo.

Restat,